

SECTIO VII. — DE OCTAVO PRAECEPTO.

412 Octavum Decalogi praeceptum sic sonat : “ Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. „ (Ex. XX, 16) Explicite igitur vetat mendacium quo proximi fama et honor in iudicio laedantur; implicite et consequenter, quodlibet mendacium, quamlibet injustam laesionem famaе vel honoris proximi quae fiat verbis vel aequivalentibus signis. Huc, propter quamdam analogiam, revocant Theologi temerarium iudicium vel suspicionem, et injustam secreti revelationem. (Ball. P. n. 1)

Agemus igitur : 1° De mendacio. — 2° De detractione. — 3° De iudicio et suspicione temeraria. — 4° De contumelia. — 5° De injusta secreti revelatione.

CAPUT I.

DE MENDACIO.

413. NOTIONES. Mendacium est locutio contra mentem ad fallendum prolata. (S. Aug. contra Mend. c. 4) De qua definitione advertite :

1° Ad mendacii malitiam parum referre utrum verbis *formalibus* an *aequivalentibus*, puta nutu, gestu, opere, proximus fallatur. Attamen non mentiretur qui aliqua ageret quae non haberent per se vim manifestandi quod falsum sit, sed e quibus istud tantum per erroneam deductionem concluderetur. Exemplo sunt stratagemata in bello usurpari solita, ut fuga simulata ad hostes alliciendos, vel fictiones quae ad aliquod malum vitandum adhibentur, ut si dives se tamquam pauperem vestiat ne a latronibus spoliatur. Vid. actiones istae, puta festinanter recedere more fugientium, vestes detritas induere, etc. minime electae sunt ab hominibus ad conceptus significandos, ut factum est de verbis formalibus, vel aequivalentibus.

2° Mendacio essentielle esse ut discrepet significatio verborum a iudicio mentis : secus non foret locutio *contra mentem*. Ideo non mentitur qui profert ea quae putat esse vera, licet falsa sint; mentitur qui profert vera quae falsa esse putat.

3° *Voluntatem fallendi*, mendacio essentielle, intellegendam esse de voluntate falsum ita enuntiandi ut ab audiente *prudenter* credatur. Non pertinet autem ad formalem mendacii rationem, sed ad quamdam ejus *perfectionem* (2. 2. q. 110. a. 1), intentio falsitatem in opinione alterius constituendi.

Ex defectu voluntatis fallendi, mendacia non sunt ea quae, licet materialiter contra mentem proferantur, tamen per se neminem prudentem in errorem inducunt. Tales sunt formulae quae urbanitatis causa adhibentur, puta laudando cibos male conditos, dicendo aliquem non esse domi quando non vult adeuntem excipere etc., vel quae a mercatoribus usurpantur ad merces commendandas, puta : “ Hoc mihi carius constat quam tibi vendo. „ Similiter mendacia non sunt joci prorsus incredibiles, puta : “ Vidi asinum volentem. „ Mendacium, in quantum habet rationem culpae, dividitur in *perniciosum*, *jocosum* et *officiosum*. Perniciosum seu damnosum est si fit cum intentione seu praevisione nocuenti alieni; jocosum, si tantum ordinatur ad aliquod bonum vel delectabile; officiosum, si fit tantum ad obtinendum aliquod emolumentum vel ad removendum nocumentum, sive proprium, sive alienum. (S. Th. I. c. a. 2)

414. Ut principia de mendacio rite tradi possint, necesse est quasdam notiones de restrictionibus mentalibus praemittere.

Restrictio mentalis in genere est retentio sensus verborum vel ejus determinatio mente facta. (Lehmk. I. n. 773) Haec autem distinguitur in *pure mentalem* et *late* seu *improprie mentalem*.

Pure mentalis est si verba, mentis actu, detorquentur ad sensum quem nullatenus, neque ex se, neque ex adjunctis, prae se ferunt. Exemplum habes in eo qui interrogatus num Romam viderit, responderet *Vidi*, mente addendo *in delineamentis vel librorum descriptionibus*.

Late mentalis est si sensus loquentis non est quidem obvius, sed tamen aliquatenus percipi potest. Hoc autem contingit dupliciter :

a) Si verba sunt de se ambigua, ut fit in aequivocationibus et amphibologiis, ex. gr. dicendo dormire eum qui mortuus est. (Joann. XI, 14)

b) Si verba de se clara, ob circumstantias loci, personae vel temporis, admittunt sensum alium praeter obvium. Ita si quis, importune interrogatus de secreto quod novit, sed occultare debet, respondet : *Nescio*, satis patet eum negare tantum scientiam quam communicare possit.

415. ASSERTA. I. Omne mendacium proprie dictum est semper seu *intrinsece illicitum*, ideoque ne ad gravissima quidem mala vitanda licet. Rationem affert S. Th. (I. c. a. 3) : “ Mendacium est malum ex genere : est enim actus cadens super indebitam materiam. Cum enim

voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum quod aliquis voce significet quod non habet in mente. „

Quidam tamen AA. quorum rationes exponit P. Piatius (Theol. Mor. P. Van der Velden, I. p. 524), ab hac communi sententia discedentes, existimant mendacium esse licitum quoties necessarium est ad secretum tuendum, neque magis peccare eum qui verba contra finem suum proximum adhibet, ubi necessitate servandi secreti cogitur, quam qui falsa moneta se ab injusta vexatione redimeret, cum in utroque casu deceptionem licitam reddat humanae societatis securitas.

II. Mendacium *per se* leve peccatum est, cum inordinatio illa, in qua communiter ejus malitia reponitur, ex se nullam gravitatem contineat. Quare jocosum et officiosum sunt ex genere suo levia; damnosum, pro ratione damni illati, grave vel leve est.

III. Restrictio pure mentalis omnino assimilanda est mendacio. Nam per ea quae sola mente adduntur, nihil mutantur verba ipsa quae de se mendacium continent.

IV. Restrictio late mentalis, si fit ex justa causa, licet. Haec est, teste S. Alph. (l. c.), communis opinio Theologorum et probatur:

1^o Ex S. Script. in qua Christus ipse tali restrictione usus esse legitur. Ita (Joann. VII, 8) negavit se ascendere ad diem festum, quamvis postea ascenderit, sed occulte, non manifeste, ut discipuli intendebant; negavit (Matth. XXIV, 36) se scire diem judicii, subaudiendo *ad manifestandum*, ut discipuli petebant.

2^o Ex ratione. Tales restrictiones, ob verborum ambiguitatem vel externa adjuncta, obscura quadam ratione sensum intentum continent ideoque non sunt vera locutio contra mentem. Aliunde medium praebent necessarium ad secreta celanda: nam si tale medium deesset, id „ esset aequae perniciosum commercio humano quam mendacium. „ (S. Alph. l. c.)

Manifestum est restrictionis late mentalis usum esse peccaminosum, si, absque justa causa, adhibetur in rebus alicujus momenti vel ad respondendum ei qui jus habet ad plenam veritatem cognoscendam, puta judici legitime interroganti: nam humani commercii fides exigit ut generatim plena sinceritate procedatur. Non fit tamen sine justa causa si joco quaedam amphibologice dicuntur.

416. In praxi saepe arduum est dignoscere utrum aliqua mentalis restrictio habenda sit tamquam pure an tamquam late mentalis.

Fatendum est plures explicationes, quae ab AA. afferri solent ut

proben locutiones aliquas amphibologicas esse, nihil solidi continere. Ita, juxta Cardenas, cit. a S. Alph. (l. 4. n. 160), invitatus qui ab hospite interrogatur num bonus sit cibus, qui reapse sit insipidus, respondere potest esse bonum, scil. *ad mortificationem*. Sed cum talis determinatio nullatenus sit neque in verbis adhibitis, neque in circumstantiis, non apparet quodnam discrimen habeatur inter talem restrictionem et eam quae fit ab homine qui, interrogatus num viderit Romam, respondet se vidisse, intellegendo *in delineamentis*. (n. 414) Pariter idem Cardenas (ap. S. Alph. n. 162) admittit licere mulieri adulterae, ad mortem vitandam, negare adulterium cum juramento, intellegendo *idololatriam*, quia in ss. Litteris, ex. gr. Ezech. XXIII, 37, idololatria nonnumquam metaphorice adulterii nomine designatur. Verum non apparet quid hic sacrae Scripturae usus, penitus a nostris moribus alienus, conferre possit ut his verbis adulterae subsit alius sensus verus.

Multo crebrius ratio, ob quam aliqua restrictio dicatur non mere mentalis, reperiri potest in adjunctis loquentis et audientis, quin necesse sit ad subtiliores illas interpretationes recurrere, quae solis doctioribus perviae sunt. Sic pone aliquem interrogari de gravi delicto suo occulto: si is delictum negat ad gravem poenam vitandam, interrogans imprudenter responsum acciperet prout materialiter sonat, quia cuique prudenti notum est non teneri reos ad proprium crimen occultum fatendum cum tanto incommodo. Similiter dicendum de aegroto cui aliquis infaustus nuntius occultandus est ne maeror grave periculum vitae creet. Is, si prudens est, recordari debet, pro more communiter recepto, multa sibi et grata dici et ingrata occultari ut animi hilaritate ad sanitatem recuperandam juvetur: quare, ubi agitur de rebus quae ipsum plurimum commovere possint, imprudenter acciperet tamquam serio asserta quae ipsi ad animi pacem vel hilaritatem dicantur. Similia sunt quae supra (n. 413) diximus de convivis qui non nisi grata hospitibus dicere possint, de mercatoribus qui, ex condicione sua, coguntur allicere emptores, commendando, saltem generalibus locutionibus, merces suas, etc.

Quaecumque demum ratione res explicetur, istud in dubium vocari nequit: oportere ut praesto sit omnibus, non tantum doctis, sed et rudibus, practicum medium quo secreta sua ab importuno investigatore tueri queant. Quare, ubi constat adesse necessitatem tuendi secreti, non est scrupulose procedendum, sed sine haesitatione eligi potest ea respondendi ratio quae ad secretum servandum necessaria videatur. Nam, eum semper detur legitimum medium ad hunc finem obtinendum (Viva, in propp. 26^{am} et 27^{am} ab Innoc. XI damnatas, n. 11), hoc autem unicum appareat, licet istud arripere, quamvis forsitan non distincte cernatur quomodo e verbis ipsis vel e circumstantiis verus sensus locutioni subsit.

Nostra sententia, confessarius frustra conaretur discrimen inter restrictiones pure et late mentales explicare rudioribus. Si qui hujusmodi poenitentes, ut non raro contingit, exponunt se fuisse coactos ad mentiendum, puta ut vitarent discordias, blasphemias etc., responderi poterit: haec non esse vera mendacia, sed licere, quin hujus liceitatis ulterior explicatio praebeatur. Non est enim incommodum si rudes mendacia licita appellant quae a Theologis communius restrictiones late mentales vocentur. Iis qui ingenio sunt cultiori theoretica explicatio, pro singulorum captu, dari poterit. Sed cavendum est a scandalo pusillorum, cum multi hanc restrictionum mentalium theoriam calumniantur, quasi hypocrisin et deceptionem foveat: quod multo magis attendendum erit, si agatur de permittendo juramento cum mentali restrictione.

417. V. Ex justa causa licitum est restrictionem late mentalem juramento firmare; justa autem causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia. (S. Alph. n. 151) Ratio est quod, cum tali restrictioni subsit sensus verus, Deus non vocatur in testimonium falsitatis; aliunde id potest esse necessarium ad jus nostrum tuendum, ut supra (n. 415) de simplici restrictione late mentali dictum est.

Quodsi deesset justa causa, tale juramentum probabilius non esset nisi veniale peccatum: nam adsunt veritas et justitia; deficit tantum iudicium, cujus deficientia non est nisi venialis. (S. Alph. l. c.) Cfr. n. 303. Grave tamen foret, sine justa causa, cum restrictione jurare in celebrandis contractibus onerosis vel mutuis, aut in legitimo iudicio. Nam in his requiritur ut in sensu alterius partis vel iudicis legitime interrogantis respondeatur, ne laedatur justitia vel oboedientia. Idem dicendum foret, si quando ex hujusmodi juramento aliquod grave incommodum proximo oriturum praevideretur. (Ball. P. n. 57)

Applicationes plurimas hujus doctrinae exhibet S. Alph. (n. 153 seqq.), quarum plures suo loco in decursu Theologiae Moralis proponuntur. Hic sufficiant sequentes:

1° Qui indiget bonis absconditis ad sustentationem, potest coram iudice jurare se nihil habere. Similiter heres qui occultavit bona, si non teneatur ex illis satisfacere creditoribus, potest iudici respondere se nihil occultasse, subintellegens *de bonis quibus satisfacere teneatur*. (S. Alph. n. 158) Cfr. n. 669.

2° Qui mutuum accepit, sed postea satisfecit, potest jurejurando negare se accepisse mutuum, subintellegens *ita ut debeat solvere*.

3° Qui a fure vi cogitur ad promittendam pecuniam cum juramento, potest subintellegere: *Dabo si tibi debuero, secluso juramento*. (S. Alph. n. 159)

4° Obligatus ad secretum potest jurare se nihil manifestasse, si nihil manifestavit eorum quae sub gravi tenebatur celare.

5° Qui obligatur ad munus aliquod ineundum, potest Superiori id exigenti juramentum praestare quod nulla commendatione hoc munus procuraverit, licet reapse eam occulte adhibuerit, subintellegendo *ita ut sit probabile in iudicio*. Ratio est: neminem teneri ad fatendum proprium crimen, ubi deest infamia vel probatio semi-plena. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 42. n. 48) Sed nulla restrictio adhiberi potest ubi libertas datur munus vel promotionem non accipiendi, ex. gr. ubi promovendi ad sacros ordines interrogantur de natalibus, censuris, irregularitate, etc. vel matrimonium contracturi de impedimentis. Nam tunc deest excusatio quae in priore casu habebatur: libertas enim datur renuntiandi ordinibus, matrimonio, etc. si quis nolit sincere veritatem aperire. Huc videtur spectare prop. 28^a ab Innoc. XI damnata: " Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. " (Ball. P. n. 52)

6° Uxor, quae occulte adulterium commisit, jurare potest marito petenti se non commisisse, subintellegendo *ita ut teneatur ei manifestare*. (S. Alph. n. 162)

7° Requisitus ad mutuandam vel donandam pecuniam potest jurare se non habere, quamvis habeat, dummodo aliquatenus ex adjunctis, vel petentis, vel respondentis, intellegi possit eum intendere se non habere superfluum quod det vel mutuet. (S. Alph. n. 163)

8° Potest quis coram notario asserere se accepisse pecuniam quam non recepit, sed pro accepta habet: nam, si remittit, perinde est ac si acceperit. (S. Alph. n. 167; Ball. P. n. 55)

CAPUT II.

DE DETRACTIONE.

418. NOTIONES. Detractio est injusta famae alienae laesio.

Fama (ut in hac definitione sumitur) est bona existimatio multorum de aliquo bono alieno. Singulorum tamen existimatio de hoc bono eadem voce comprehenditur, tamquam pars illius opinionis communis qua fama constituitur: quare etiam laesio existimationis apud singulos constituit detractionem.